

36d

37  
Ba

George Frederic  
de Boottell

+

20.  
IN NOMINE JESU!  
DISPUTATIO JURIDICA  
*De*  
VENDITIONE  
FACTA AD CORPUS  
ET AD MENSURAM,

Cui Mantissæ loco subjectæ duæ  
quæstiones

1. *An si venditor dominium sibi reservaverit rei  
venditæ, ejus sit periculum,*
2. *an promissio jurata de vendendo vel retro ven-  
dendo præcisè promittentem obliget.*

SUB PRÆSIDIO

Dn. JOHANNIS BRUNNEMANNI,

J. U. D. Decret. Prof. Publ. Juridicæque  
Facult. Ord. & p. t. Decani.

*Placido discursui submittenda*

à

THEODORO MEIERO, Stralsund.

die 22. Decemb. Anno 1653.



Francofordiæ, Typis ERASMI RÖSNERI.



**N**ter difficiles juris nostri, & tamen  
quotidianas materias merito nume-  
ratur ea, quæ præ manibus est, in qua  
tanquam articulo frequentissimo tantam  
scribentium varietatem reperiri dolendum  
esse non immerito ait subtilis Pinellus in tract.  
nobili super. l. 2. C. de rescind. vend. part. 3.  
l. 2. n. 9. & consentit Magnif. Dn. Frantz-  
kius in commentario ad Pandectas in tit. de  
pericul. & commod. rei vend. num. 45. ubi  
hanc materiam longe difficilem, quotidianam  
tamen vocat & utilem. Non abs re igitur  
nos facturos existimavimus; si in materiam  
hanc à paucis traditam, operosius inquirere-  
mus, debita tamen modestia non immemores,  
præsertim cum paucas ante septimanas ordo  
lectionum publicarum eo quasi nos manudu-  
xerit.

§. 1.

**R**es quædam corporales in certa mensura, numero vel pondere venduntur. In talibus venditionibus sæpe quaritur, an ad mensuram, an ad corpus venditæ sint.

§. 2.

Eaq; quæstio potissimum ob tria effecta necessaria. 1. Ut sciatur, quid venditum sit. Nam si res ad corpus vendita, & reperiatur major quantitas, quam dictum est, tota res dicetur vendita, etiam, quoad augmentum illud seu incrementum; neq; erit in potestate venditoris, arrogare sibi illum quantitatis excessum, sed contrarium erit, si venditio ad mensuram facta sit. 2. Ut sciatur, quo pretio res sit vendita, an scilicet Solo pretio ab initio constituto, an non. Nam si ad corpus res sit vendita, licet major quantitas reperiatur, quam dictum est, eodẽ tamen pretio etiam augmentum venditum erit. Sed secus si ad mensuram. 3. Circa periculum rei venditæ. Nam in conditionali venditione periculum est venditoris, non emptoris *l. necessario 8. & ibi Bald. & Salyc: quos male pro contraria Sententia allegat Berojus valde errans vol. I. consil. 145. n. 12. in fin.* prout hos tres effectus bene explicat *Ludovic. Molin. in tract. de Just. & Jur. tract. 2. disp. 367. n. 2.* Unde evidens hujus tractationis utilitas sua luce patet.

§. 3.

Sed quo fine quantitas corpori adjungitur? Duplicem vulgo agnoscunt, scilicet ut vel demonstret tantum præcise rem venditam, vel ut rem venditam restringat.

Sed recte *Molina. d. l. n. 3.* tertium finem addit, ut sc. quantitas sit quasi rei modus, de quo modo venditor certum facit emptorem, ad eum modum se adstringendo formaliter aut virtualiter, expresse vel tacite v. g. *vendo tibi agrum jo jugerum*, qui tertius finis ex tot legibus probatur, quot in hac materia de modo præstando loquuntur, ut in *l. qui fundum 40. pr. ff. de contrah. empt. l. id quod post 7. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vendit. l. si in empt. 2. pr. ff. de action. empt.* Et non abs re est, quod notat *d. l. Molin.* Jctos nostros confudisse hunc tertium finem cum primo & secundo. Sed & cum Fulgoso agno-

agnoscit hunc tertium finem *Pinell. de resc. venditione part. 3. C. 2. n. 10.*  
v. vel aliter ad eum textum, &c.

§. 4.

Quid igitur erit venditio ad corpus? R. Est venditio rei sine  
conditione mensurationis expressa vel tacita atq; ita pure facta: quæ  
alias JCrts dicitur per averfionem, quam ita definit *Cujac. ad l. quod*  
*sepe §. 5. ff. de empt.* quod sit venditio confuse & acervatim facta  
pretio in simul dicto non in singulas res constituto, quæ definitio  
*ex d. §. 5. & seq. l. 4. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend. l. 62. in fin. de*  
*contrah. empt. l. 51. §. ult. ff. locat. l. ult. §. ult. ff. ad L. Rhod. satis*  
*probatur.*

§. 5.

È contrario venditio ad mensuram est venditio rei per quan-  
tatem descriptæ sub conditione mensurationis facta. Discrimen  
utriusq; satis colligitur ex bene multis textibus v. g. *ex l. quod sepe*  
*35. §. in his 5. ff. de contrah. empt.* Ubi dicitur, quod in his rebus, quæ  
pondere, numero & mensura constant, non videatur perfecta ven-  
ditio, quam si ad mensura, &c. Idem probatur *ex l. necessario §. ff. de*  
*peric. & comm. rei vend.*

§. 6.

Ad corpus autem tunc communiter volunt rem vendi,  
quando in venditione à corpore incipitur, & postea additur mensu-  
ra, ut *vendo tibi agrum 10. jugerum*: atq; hanc regulam proponunt  
*Paul. Castrens. in l. 2. C. de peric. & comm. rei vend. in fin. Covarruv. in*  
*pract. quest. C. 3. n. 3. v. quarta Species proponitur ubi plures allegat. nec*  
*non Christoph. Besold. part. 6. consil. 267, n. 10,* ubi ex aliis hanc esse  
communiter receptam sententiam testatur *Dn. Carpz. l. 5. resp. 25. n. 3.*

§. 7.

Sed hoc intelligendum, nisi ex contextu aliud colligatur, v. g.  
finge mentionem corporis prius factam, sed postea subnecti, tan-  
tum esse venditum, quantum in mensura reperitur. Nam tunc con-  
trahentes non ad corpus sed ad mensuram voluisse contrahere pa-  
lam est, cum ordo Scripturæ non possit evidentem contrahentium  
voluntatem mutare. *per l. cum pater 77. §. 12. ff. de Legat. 2. l. nec enim*  
*6. ff. de Solution. Dn. Carpz. d. resp. 25. n. 4. &c.*

A 3

§. 8.

§. 8.

E contrario, si à mensura incipiatur, v. g. 10. jugera agri Tusculani vendo, videtur esse venditio ad mensuram, quod *Dd in §. 6. citat passim adstruunt* Prædictæ autem distinctionis hanc rationem affert ex *Deciano resp. 113. n. 8. vol. 3. Besold. d. censil. n. 12.* quod, quando duo conjuncta sunt in dispositione, illud magis in mente contrahentium consideratum fuisse præsumatur, quod primo loco in ordine literæ fuit scriptum per *l. quotiens 34. pr. ff. de usu fruct. & l. generaliter 24. §. quid ergo 17. ibi & fortassis quis recte dixerit ordinem scripturæ esse sequendum ff. de fideicom. libert.*

§. 9.

Sed cavendum hic est à solenni multorum errore, multi enim ad corpus venditionem & demonstrationem præcisam confundunt v. g. quando *Steph. Gratian. lib. 2. discept. forens. C. 256. n. 47.* regulam superiorem ita exprimit, quod si venditor à corpore incipiat, & postea subjiciat numerum, & deinde limites, tunc numerus stet demonstrative, ut fundum vendo 10 jugerum, & citat *Covarruv.* qui tamen citato loco id non habet: idem etiam cum *Gratiano vel- le videtur Mantica in tract. de tacit. & ambig. convent. lib. 4. tit. 17. n. 34.* nam aliud est ad corpus vendere, & aliud est numerum ponere demonstrative, eo sensu scilicet, quo *JCr* volunt, sc. ut tantum demonstret, quis fundus sit, ut postea dicetur: nam omnis fundus, cui numerus demonstrationis præcisæ loco additur, venditur ad corpus, sed non contra. Sed error ille ex eo originem traxisse videtur, quod non distinxerint inter quantitatem demonstrative & veluti modum appositam, nam ea esse distincta supra §. 3. diximus,

§. 10.

Sed ad descriptionem illam supra §. 6. propositam limitationis vice hoc addendum, tunc videri ad corpus rem venditam, si res unico pretio vendatur, nec singulis mensuris vel numeris speciale pretium subjungatur v. g. si dicatur, vendo tibi agrum 10. jugerum, pro singulis jugeribus dabis, 10. flor. facit summa totius agri 100. flor. non potest dici hanc venditionem esse ad corpus, licet à corpore initium fecerit venditio, sed tunc demum ad corpus fiet venditio, si tota res unico pretio vendatur pro tota quantitate. Ergo distri-



distributio precii pro qualibet mensura facit venditionem ad mensuram. *Molin. d. l. n. 4. S. 2. ad l. sicut pericul. n. 4. C. de act. empte. Covarr. d. quest. 3. in septima conclus. v. Sed si venditio facta sit ad corpus, &c. Ubi reprehendit Ruinum consil. 83. n. 3. vol. 1. & alios dicentes, si fuerit pretium statutum pro quolibet jugere, omnia jugera etiam excedentia cadere in emptionem, & cedere emptori, sed augendum esse pretium. Certe qui hoc dicit, ille negat venditionem esse ad mensuram, nam in venditione ad mensuram, tantum videtur venditum, quantum in mensura est, reliquum sibi retinet venditor. Ergo Ruinus allegato loco & Socin. Junior & Parisius à Covarruv. citati dicunt esse venditionem ad corpus, dum dicunt, illum excessum in agro repertum pro majori tamen pretio acquiri emptori, & simul etiam coguntur concedere esse venditionem ad mensuram.*

§. II.

Sed lis hæc facile sopiri potest. Nam in tali specie, de qua Ruinus & alii loquuntur, est totus fundus venditus, sed ad mensuram. Idcoq; in venditione ad mensuram non omne est venditum, nisi aliud actum sit. Nam si actum sit, ut totus ager venderetur, quoad effectum primum supra §. 2. allegatum videtur esse quidem ad corpus, sed non quoad effectum secundum vel tertium, sicut ipse Covarruv. hanc conciliationem non obscure insinuare videtur in *conclus. 10. v. aut sane consideratur venditio ad mensuram, &c.*

§. 12.

Et ita etiam, si ab errore vindicandus est, intelligi potest *Be-sold. d. consil. n. 13.* dum dicit, si venditio facta sit ad mensuram, precium pro modo mensuræ esse augendum vel minuendum, & allegat *Speculat.* nam hoc de eo casu intelligendum, quando actum est, ut corpus totum vendatur, sed juxta mensuram, & singulis mensuris pretium constituatur. Nam alias certum est in venditione ad mensuram tantum illud venditum esse, quantum in mensura continetur v. g. 10. jugera agri, & pro jugeribus singulis 10. flor. faciunt 100. flor. Si hæc venditio est ad mensuram, ut est sine dubio, certe 10. jugera tantum sunt vendita, & nihil amplius, & si amplius quid reperiatur, v. g. 12. jugera, illud incrementum duorum jugerum non  
erit

erit venditum, sed ad venditorem pertinebit, quia ad mensuram ager est venditus. Cui ergo bono disputatur de augendo vel minuendo pretio, cui quaestioni in venditione ad mensuram locus non est, nisi ut dictum in specie supra proposita.

§. 13.

Sicut etiam, si ad mensuram venditus est fundus, locus non est isti distinctioni, an unicum pretium toti rei venditæ sit præstitutum, an singulis mensuris per *text. expressum in l. quod sæpe 35. §. pen. ff. de empt. & notant Dec. consil. 500. n. 14.* ubi notat unitatem precii non tollere venditionem ad mensuram & *Covarr. de concl. 7. in pr.*

§. 14.

Atq; hæc, quæ de corpore vel quantitate præposita dicta sunt, non tantum in principali re vendita, sed etiam in accessoriis locum habent. v. g. si vendam fundum cum doliis omnibus, quæ in fundo sunt, venditio erit doliolum ad corpus: Sed si ita vendam, vendo fundum cum 80. doliis ibi existentibus, dolia non ad corpus, sed ad mensuram vendita sunt, sicut hanc distinctionem ad accessoria quoq; recte extendit *Molin. d. l. n. 3.* cujus fundamentum in *l. penult. §. 1. ff. de act. empt.*

§. 15.

Sed dicet aliquis, nonne est ad corpus venditio, quando vendo agrum totum per agrimensorem mensurandum, ita tamen, ut pro singulis jugeribus 10. flor. pretium sit. Hanc enim venditionem ad corpus esse, non ad mensuram vult *Bald. in l. sicut 12. n. 1. v. Sed quid si dixi, &c. & ibid. Castrens. n. 4.* ubi hoc bene notandum esse monet, quos sequitur *Mantica d. l. n. 7.*

§. 16.

Et quidem, si hæc declaratio vera esset, in signis esset limitatio ejus regulæ, qua diximus, si in singulas quantitatis species pretium dicatur, esse venditionem ad mensuram. Verum communius & verius ab hac sententia disceditur per *l. quod sæpe 35. §. in his 5. ff. de contrab. empt. Salyc. in d. l. sicut. n. 4. v. ego puto &c. Covarruv. d. C. 3. concl. 9. Molin. d. 367. n. 6. in fin. Tusch. concl. 48. n. 32. lit. U.* Et hanc Sententiam merito sequimur, cum pro se habeat regulam, contraria vero Baldi & sequacium licet subtilis videatur, in certa nitatur exceptione.

§. 17.

§. 17.

Sed Dd illi, qui venditionem hanc ad corpus vocant, illud tantum innuere voluerunt, totum fundum, quantuscunq; est, esse venditum: & ratione hujus effectus abusive quodammodo dici posset venditio ad corpus, ut videtur innuere *Covarruv. d. concl. 10. d. v. aut sane.* Sed quando de periculo sermo est, qui præcipuus est effectus hujus disputationis, male eousq; processerunt *Bald & Castrens.* Sed dicimus periculum in hoc casu esse venditoris, ut in aliis venditionibus ad mensuram.

§. 18.

Ut autem effectus hujus distinctionis sciatur, plenius & in specie tribus hanc materiam regulis includamus: quarum prima est, si res vendita sit ad corpus, & quantitas tantum demonstrationis causa addatur, tunc licet plus vel minus reperiatur, totus tamen ager erit venditus, quoad primum effectum, & pro dicto pretio, neq; si plus in quantitate reperiatur, augebitur pretium, neq; si minus, minuetur, quoad secundum effectum, de quo intelligendus *Ant. Gomtz t. 2. variar. resol. C. 2. n. 16. & Molin. d. l. n. 8. & demum periculum statim erit emptoris juxta regulam in §. 3. Inst. de empt.*

§. 19.

Illud autem videtur dubium, quando præcisæ demonstrationis causa addatur quantitas, ita ut neq; mensuram rei venditæ, neq; modum indigitet. Nam non omnis venditio ad corpus ita est comparata, ut quantitas demonstrationis tantum vice fungatur, ut videtur velle *Pinell. ad l. 7. C. de rescind. vendit. part. 3. C. 2. n. 7.* Ubi dicit, in venditione ad corpus mensuram non limitative sed demonstrative adjectam censerit, & idem habet *Mantic. d. l. n. 12.* & Dd passim, qui venditionem ad corpus cum tali venditione, in qua quantitas nudæ demonstrationis vice ponitur, confundunt, cum tamen ad corpus aliquid vendatur, ubi tamen nulla quantitatis mentio facta, item ubi quantitas addita, sed non tantum vice demonstrationis præcisæ v. g. si modus dictus est agro, quod sit 10. jugerum, hæc est venditio ad corpus, ut ex dicendis patebit, sed ibi quantitas non nudæ demonstrationis vices gerit, sed modi: nam si ille modus non reperiatur, ille præstandus est per *l. si in empt. 2. pr. & l.*

B

si ser-

*si servum 4. §. 1. ff. de act. empt. quod non fit eo casu, ubi demon-*  
*strandi causa tantum addita quantitas.*

§. 20.

Quantitas igitur tunc nudæ demonstrationis causa additur, quando contrahentes non attenderunt ad quantitatem ut talem, nec ei sunt innixi, sed attenderunt ad fundum tantum, & quantitas non declarat, quid & quatenus venditum sit, neq; modum rei describit, sed tantum demonstrat fundum, materialiter scilicet, si forte plures quis habeat agros, unum majorem, alterum minorem, si quis quantitatem addat, eo tantum fine, ut sciatur, de quo agro senserit: quæ descriptio colligitur ex iis, quæ habet *Molin. d. l. n. 8. & Ant. Gometz. tom. 2. variar. resol. C. 2. n. 16.* ubi tamen videtur confundere venditionem sub modo & ad mensuram factam.

§. 21.

Et de hac venditione ad corpus, quæ fit quantitate nudæ demonstrationis causa apposita intelligendum est id, quod *Dn. Carpz. d. resp. 25. n. 12.* habet scilicet pretium neq; in emptoris commodum minuendum, neq; in favorem venditoris augendum esse. Nam in genere de omni venditione ad corpus id dici non potest, ut ex dicendis patet, sed de sola hac quæ fit, quando quantitas nudæ demonstrationis causa adjicitur.

§. 22.

Sed notandum est, raro quantitatem nudæ demonstrationis causa addi, & non ita positam esse præsumi per tradita *Molin. d. n. 8.* præsertim, si aliæ additæ circumstantiæ, ex quibus ager, quis sit, cognosci possit v. g. confines. Nam cum nulla verba in contractu otiose posita esse præsumendum sit, & sine virtute operandi *Bald. ad rubr. C. de empt. n. 9. Jason in l. ult. in fin. ff. quod quisq; juris, & c. Tiraquell. de retract. convention. §. 1. gl. 2. n. ult.* certe nec quantitas otiose addita videtur, nisi reperiantur circumstantiæ, quæ inferant, quantitatem tantum demonstrationis causa esse appositam v. g. si addatur vox circiter *ben nahe/ ohngefähr Besold. d. consil. 267. n. 6. & seq.* quia utens hac voce non loquitur de certo ac determinato tempore vel numero per *Capit. fin. x. de desponsat. impub. & ibi Abb. & Ant. de Butr. Ruinus cons. 10. n. 3. vol. 5.*

§. 23.

§. 23.

Illam autem conjecturam à Mantica posita n. 34. quod scilicet quando quis uno pretio vendidit corpus certis finibus circumscriptum, & postea adjecit mensuræ numerum, non videri id animo restringendi, sed demonstrandi causa fecisse, quia mentis conceptum à corpore prius explicare incepit, ex errore supra notato provenit, quod non distinguat inter quantitatem loco demonstrationis & modi appositam. Nam in d. specie venditionem ad corpus esse concedimus, & non dissentit Covarruv. d. l. in concl. 4. Sed quod quantitas nudæ demonstrationis officium gerat, id negamus, & sane quoad pretii deminutionem res hæc magni momenti est, ut dicitur in reg. 2.

§. 24.

Aliam conjecturam scilicet quantitatem precii allegant Covarr. in concl. 4. v. hæc vero ita intelligenda sunt, &c. & Mantica d. loc. n. 27. Sed illa conjectura valde dubia, cum præsertim allegata ab ipsis Gloss. Bart. & Dd in l. 1. §. 1. ff. de superf. non de dignoscendo eo, an demonstrationis causa quantitas addita, an non, sed de dignoscendo contractu venditionis & locationis agant,

§. 25.

Certior conjectura imo argumentum est, si contrahentes dicant se per aversionem emere im Pausch. Nam tunc, utut quantitas fuerit addita, non nisi tamen demonstrationis causa additam esse præsumendum est.

§. 26.

Altera regula est, quando quantitas exprimitur tanquam modus rei venditæ, emptorq; quantitati illi fuit innixus, si diversum sciret, plane non, vel tanti non empturus, tunc, si quantitas ea, quæ in venditione exprimitur, non reperiatur, venditio quidem est fundi totius, & periculum est statim emptoris, sed tenetur venditor deminuerere de pretio pro ratione deficientis mensuræ. Ea regula proponitur à Molin. d. disp. n. 9. & Covarruv. d. l. in concl. 11. & rectissime probatur per l. Julianus 13. §. Si Titius 14. ff. de act. empt. ubi ex quadam æquitate statuitur, si venditor ignorans expresserit majorem quantitatem tanquam modum rei venditæ, & ante modi ma-

nifestationem tantundem, quantum deest, alluvione accrescit, non dari actionem ex empto contra venditorem ad pretium minuendum: ex quo colligitur, si alluvione quantitas non accrevisset, dandam esse actionem ad minuendum pretium.

§. 27.

Quamvis enim *Gloss. & Bart. illum §. 14.* de venditione ad mensuram intelligant, repugnant tamen verba textus, quia fundus venditus dicitur, & dictum esse illum fundum habere jugera 100. & hunc esse modum additum, quæ verba venditioni ad mensuram non conveniunt, & ideo rectius de venditione ad corpus explicatur à *Molin. d. loc. & Covarr. in 11. conclus. v. si vero minor. & Pinell. d. l. n. 10. Mantie. d. l. n. 23.* Ubi notat Pinellum se ipsum circa hujus legis intellectum involvere, sed viderit ipse, an non se involvat, dum legem illam de venditione ad corpus explicat, & nihilominus venditionem ad corpus cum quantitate solius demonstrationis causa adjecta confundit, quæ si quis dicat, sibi ipsi contradicit.

§. 28.

Et probatur eadem regula ex *l. si in empt. 2. pr. & l. si servum 4. §. Si modus 1. ff. de act. empt. & l. tenerur 6. pr. ff. eod.* in qua lege melior videtur lectio vulgaris, si ignoraverit. Nam si agnoverit, majorem modum esse, multo magis tenebitur ex dolo *juxta §. si Titius, ex quibus aliisq; textibus ac rationibus regulam hanc pluribus probat, & ad contraria respondet Mantie. d. tit. n. 19. & multis seq.*

§. 29.

Sed si major modus quantitatis reperiat, communis est sententia, lucrum hoc cedere emptori, nec propterea augendum esse pretium. *Covarr. in d. concl. 11. v. attamen si venditio, & c. Mantie. d. loc. n. 18. & seq. Cardinal. Tuschus concl. 48. n. 13. & seq. lit. U.* qui quamvis demonstrationis mentionem faciat, *ex n. tamen 14. & 15.* apparet ipsum de nostro casu loqui. Moventur illi 1. textibus, in quibus dicitur si aliquid in modo desit, hoc à venditare suppleendum, sed nusquam contrarii casus mentionem faciunt, si aliquid abundet. Præsentim 2. cum inter hos casus diversitas sit rationis, quia venditor modum rei venditæ melius scivit, & scire debuit, quam emptor *l. qui qui 15. C. de rescind. vend.* Ergo huic magis subvenien-

veniendum quam illi, quam rationem communiter assignant. Ad-  
di potest 3. & hoc, quod defectus quantitatis vel modi ex ea ratio-  
ne supplendus à venditore, quia hic, quicquid ille de re vendita as-  
severavit, præstare tenetur *l. Julianus 13. §. si venditor 4. ff. de act. empt.*  
Sed hæc ratio cessaret, si plus reperiatur. Quis enim æquis auri-  
bus admitteret querelam venditoris dicentis, se dixisse, servum esse  
citharædum, sed & aliis dotibus esse instructum, de quibus nihil in  
venditione dictum, ideo augendum esse pretium: qualitas enim  
quantitati comparatur *l. si in quantitate 22. ff. de act. empt.* Natta tom.  
3. conf. 569. n. 5.

§. 30.

E contrario alii putant, etiam venditori esse subveniendum,  
ut *Paul. Castr.* qui movetur *l. qui fundum 40. §. qui agrum 2. ff. de con-  
trah. empt.* Sed ille §. de venditione ad mensuram loquitur. Eidem  
adstipulari videtur *Pinell. d. l. n. 18.* ubi tamen emptoris arbitrio id  
committendum censet, an rem venditam plane restituere, an pre-  
tium augere velit, ne ille alium vicinum, quam speraverat, accipe-  
re cogatur, si partem abundantem repudiaret & *Natta. tom. 3. conf.*  
*569. n. 8.* Sed & eandem Sententiam amplectitur *Molin. d. disp. n. 11.*  
qui nititur *l. si venditor 38. pr. ff. de act. empt.* ex quo textu à contrario  
sensu argumentatur, quia in hac specie ideo totum peculium præ-  
standum, quia nihil detracturum promisit: ergo si tantum dixisset,  
servum vendo cum peculio, quod est 10. id quod amplius est, non  
esse præstandum.

§. 31.

Sed periculosum est à communi sententia recedere, quam-  
vis enim argumentum *Molin.* speciem aliquam habere videatur,  
veremur tamen, ne ad subruendam communem sententiam nimis  
leve sit. Nam 1. *Celsus* ibi speciem facti proponit, nec adeo cer-  
tum est, quæ fuerit ratio decidendi in dicta lege, an solum id, quod  
se nihil detracturum promiserit, an & hæc ratio sit, quod peculium  
se simul vendere dixerit. Deinde *Molin.* præsupponit peculium  
esse venditum ad corpus, non ad mensuram: alias enim ad subje-  
ctam materiam plane non pertineret. Si ergo peculium ut corpus  
vendatur, & quod in peculio excederet denarium numerum, esset  
præstan-

præstandum, tunc illud incrementum non esset venditum, quod tamen ipsi Molinæ adversatur, qui totam rem venditam esse concedit, & concedere tenetur, sed propter excessum pretium tantum augendum esse putat, sed *in d. l.* non de pretio augendo, sed de re ipsa vendita præstanda vel non præstanda agitur.

§. 32.

Illud sane Molinæ haud inviti concedimus, si ex majori quantitate consurgat ex rei natura inæqualitas inter rem & pretium, ita ut revera res plus valeat, & venditor probabiliter ignorans de minore quantitate dixisset, bona fide, emptorem, teneri in foro conscientiæ reducere contractum ad æqualitatem, vel rescindere venditionem. Et ita de hoc foro interiori concedimus ea, quæ de Pinello supra notavimus.

§. 33.

Et hæc, quæ hæctenus dicta sunt, etiam in accessoriis locum habent v. g. *vendo fundum cum doliis omnibus, quæ sunt 80. arg. l. penult. §. 1. ff. de act. empt. Cardinal. Tusch. d. quest. 48. n. 27.* Ubi omnia dolia venire putat, sive sint plura sive pauciora: in quibus tamen verbis, si existimat defectum à venditore non esse supplendum, procul dubio errat per *l. 2. & 4. ff. de act. empt. & per l. si quis 26. ff. d. tit.* Ubi si venditor dolia centum, quæ in fundo sunt, accessura dixerit, si nulla sint, debent tamen 100. præstari: Secus si decem, quæ in arca habeo, legavi per *l. si servus legatus 105. §. qui quinque de Legat. 1.* quia in ultimo casu quasi certum corpus, quod in rerum natura non sit, legatum est, *vid. Cujac. ad d. l. 38.*

§. 34.

Tertia regula est, si res ad mensuram vendita, non plus est venditum, quam quantum in mensura reperitur, & periculum ante mensurationem est venditoris. Prius membrum regulæ probatur ex *l. qui fundum 40. §. qui agrum 2. ff. de contrah. empt.* posterius ex *l. 2. C. de peric. & comm. rei vend. & l. necessario 8. ff. eod.* & hæc propterea, quia conditionalis est hæc venditio *l. quod sepe 35. §. in his 5. ff. de contrah. empt. & est imperfecta. Trentacinq. lib. 3. resol. 5. tit. de empt. n. 1.*

§. 35.



§. 35.

Et hoc non tantum in principali re vendita, sed & accessoriis locum habet, v. g. vendo fundum cum 80. doliis in fundo existentibus per *l. penult. §. 1. ff. de action. empt.* quæ tamen lex inter plura dolia ibidem existentia electionem venditori largitur, ut tamen integra det. Sed si 80. tantum sint, eadem dari debent, licet omnia integra non sint. Ideoq; nonnulli discrimen constituunt inter hæc duo, *vendo tibi fundum cum 80. doliis quæ ibi sunt, vel ita, vendo tibi fundum cum doliis, quæ ibi sunt, quæ sunt 80.* ut in priori specie tantum 80. vendita sint, in posteriori vero lucro emptoris cedant omnia, ut vult *Castrens. in d. l. 38. in fin. & Steph. Gratian. lib. 2. discept. forens. C. 256. Covarruv. d. l. Concl. 6.* Id enim fluit ex differentia utriusq; venditionis supra proposita. Nam prior venditio doliorum est ad mensuram, posterior ad corpus.

§. 36.

Sed quod de periculo supra dictum, id de periculo interitus, non vero deteriorationis est intelligendum. Hoc enim eveniente conditione v. g. hic mensuratione est emptoris *l. 8. in fin. pr. ff. de peric. & comm. rei vend. n. 4. Dn. Carpz. in jurispr. part. 2. Const. 26. def. 26. Dn. Frantzk. d. l. n. 22.*

§. 37.

Cum autem hanc venditionem factam ad mensuram imperfectam dicimus, nequaquam volumus poenitere licere alterutri parti. Nam & mensuratione nondum facta, neutritamen parti licere poenitere tradunt rectissime *Mantic. d. l. 17. n. 5. Trentacinq. lib. 3. t. de Empt. resol. 5. n. 2. Card. Tusch. Concl. 49. n. 18. Covarruv. d. l. concl. 8. Guttiretz lib. 5. pract. quæst. quæst. 95. n. 15.* Est enim & hæc venditio perfecta, licet non ratione periculi, bene tamen ratione consensus seu formæ. *Gloss. in l. 1. C. de pericul. & comm. Trentacinq. d. l. Molin. disp. 366. n. 19.*

§. 38.

Cæterum istud, quod supra dictum, scilicet venditionem ad mensuram esse imperfectam ratione periculi, id Dd. limitant, nisi traditio ante mensurationem facta. Nam hæc periculum transfert in emptorem, ut volunt *Mantic. d. l. n. 6. Trentacinq. d. l. n. 4. & 7. Card. Tusch. d. concl. 49. n. 29. & 40. Guttiretz d. l. n. 16.* eamq; opinio-  
nem

nem probant ex l. 2. C. de peric. & comm. rei vend. de qua probatione licet subdubitare videatur Covarr. concl. 8. v. Nihilominus Curt. Junior, &c. Cum secunda pars legis de venditione ad corpus loquatur, videtur tamen ex prima parte ex verbis (antequam tradatur) probari posse sententia Castrens. quam pluribus defendit Decius cons. 179.

§. 39.

Sed an per signum appositum videtur traditio facta, v.g. vendendo lanam & quidem in tanto pondere, pro singulis ponderibus certam pecuniæ summam, emptor promittit solutionem proximis nundinis & signum suum imponit lanæ & saccis, quæritur, an per hoc videatur traditio facta? Id videtur affirm. per l. 14. §. 1. ff. de peric. & comm. nam signum est demonstrativum domini. Jason in prælud. feud. n. 11. & Benev. Strach. in tract. de mercator. part. 2. n. 11. Menochius lib. 2. consil. 122. n. 30. & appositio significat domini receptionem apud signantem per d. l. 14. Jason in l. quoties n. 18. C. de rei vendit. Menoch. d. loc.

§. 40.

Adeoq; l. 1. §. si dolium d. tit. quæ contrariari videtur, vel de vino doliari in specie intelligenda, ut explicare videtur Gloss. in d. l. 14. vel dicendum post Salycet. in l. fin. C. de picul. & comm. & Bald. in rub. tit. ejusd. n. 11. cum Benev. Stracha de mercator. part. 2. n. 90. tunc demum ex signatura præsumi traditionem factam, si alia præsumptio evidenter non appareat, & signum in præsentia alterius partis impositum, vel de vino ad mensuram vendito, ut intelligere videtur Just. Mejer. in Coll. Argent. lib. 18. tit. 6. th. 4. n. 16.

§. 41.

Per constitutum sane ceu fictam possessionem non transire dicit Covarruv. d. concl. 8. in fin. idq; probatur per l. possideri 3. §. incertam 2. & ibi Bartol. Zasius & Dd. & per l. locus 26. ff. de acquir. possess. quod tamen temperat Trentazinq. d. resol. 5. n. 5. nisi certitudo aliqua ratione loci vel quotæ ad sit & Aug. Beronius consil. 166. n. 14. & seq. vol. 1. de quo casu etiam loquitur consil. 159. ubi paulo incommodius videtur loqui, venditionem ad mensuram non esse perfectam, ut ex ea dominium transferatur, sed non de vera traditione sed ficta eum loqui antecedentia & consequentia testantur.

§. 42.

Maximam cum hac materia affinitatem habet venditio vini aromatatum, & similibus, quæ non nisi prævia gustatione emuntur. Nam in illis venditionibus pleramque, nisi contrarium conventum *l. 4. §. 1. ff. de pericul. & comm.* sub hac conditione res videtur vendita, si gustando probetur per *l. si in empt. 34. §. alia causa 5. ff. de contrah. empt.* & ita ad hanc venditionem gustatio requiritur præter mensuram *l. 14. §. 1. ff. de peric. & comm. rei vend.* Wesemb. in *d. t. n. 3.* & Molin. *d. disp. 366. n. 8.* Venditio igitur sub gustu facta magis imperfecta est, quam quæ sub mensura facta est. Nam in illa pœnitentiæ locus est, vel potius emptionem improbare potest emptor per *d. l. 34. §. 5. ff. de contrah. empt.* Frantzke *d. l. n. 28. qui num. 33. explicat di. l. 4. §. 1.* Cum quo non per omnia convenit coll. Argentor. *d. t. 6. n. 10.* Et in his rebus, etiamsi nulla expresse facta mentio degustationis, hæc tamen tacite inesse videtur ut per *l. 4. §. 1. recte colligit Mejerus d. l. & Frantzke, n. 24.*

Mantissæ loco duas quæstiones subjiciemus, à materia hæcenus proposita non multum alienas: quarum prima est, an, si venditor dominium rei venditæ sibi reservet, tunc periculum rei venditæ sit venditoris? Affirmet hoc Magnif. Dn Carpz. & quidem motus tribus argumentis 1. quia res regulariter perit Domino 2. quia hæc venditio videtur conditionalis: in conditionali autem venditione periculum est venditoris ante existentem conditionem *l. pen. C. de peric. & comm. rei vend.* 3. suam sententiam probare nititur ex *l. 33. ff. locati* & allegat pro sua sententia Castr. in *d. l. 33. Æmilian. cons. 129.* & Borgn. *Cavalc. part. 2. decis. 9. n. 4. & 5.* & ita in Scabinatu Lipsiensi pronunciatum esse memorat.

Verum quod tanti Jcti pace dixerimus, hæc sententia in puncto juris defendi vix poterit. Ideoq; contrariam Sententiam merito amplectimur cum Steph. Gratian. *t. 2. disc. forens. C. 206. n. 11. & 13. & t. 3. C. 523. n. 16. & sequ.* idq; ob sequentes rationes 1. Habemus pro nobis regulam, quod in emptione pura periculum sit emptoris per *§. 3. Inst. de empt. & alibi.* Ea regula nunquam habet hanc in jure exceptionem. Ergo merito stamus regulæ. Sed huic rationi plura objicit Dn Carpz. 1. hanc non esse puram venditionem.

G

nem.

nem. R. Sed id nulla ratione probari potest, sed potius pro pura habenda est, ut expresse defendit *Gratian d. C. 523. n. 16. & n. 23. & 25.* ubi refutat *Magonium qui decis. 31. n. 10.* contrarium visus est statuere. Quod autem pura sit venditio probatur 1. quia hoc pactum vel reservatum est de natura omnis venditionis. Nam regulariter omnis venditor ex natura hujus contractus sibi reservat dominium, nisi solutione facta vel fide habita tradiderit per *l. quod vendidi 19. ff. de contrah. empt.* 2. hæc reservatio non contractui, sed traditioni additur. Nam contractum non alterat. quippe contractus venditionis non transfert dominium, sed traditio per *l. traditionibus C. de pact.* quia ergo circa contractum nihil alterat, nec contractum suspendit, sed effectum traditionis tantum suspendit, quomodo dici poterit ex hoc reservato contractus conditionalis? 3. Ponamus venditionem fuisse sine tali reservato contractam, & postea ante traditionem subsequutam placuisse, ut quidem res vendita habita de precio fide traderetur, sed reservato dominio venditori, quis hic diceret, puram istam venditionem per subsequutum reservatum reddi conditionalem ex post facto. Ideoq; firmum videtur argumentum, per quod tantum effectus traditionis suspenditur, id contractum ipsum non modificat, nec suspendit. Prius verum de reservato isto. Deinde regerit *Dn. Carpz.* ad regulam istam, fortius operari expressam dominii reservationem, quam tacitam. Verum probandum prius est, operari illam reservationem dominii translationem periculi, & tunc quærendum utrum fortius operetur. In regula illa, quod post perfectam venditionem periculum sustineat emptor, non respicitur ad dominium, sed hæc est ratio, quod venditor sit debitor speciei, debitor autem speciei interitu liberatur *l. quod te mihi 5. ff. si certum petatur & ibid Dd.* Demum regerit emptorem habere jus avocandi rem, quandocunq; velit, quia stat tantum per eum, quod nondum sit dominus. Sed de illa ratione dubitare licet. Sequeretur enim exinde, suspensa in diem traditione, cum per emptorem non stet avocare ante diem possessionem, interim periculum ad emptorem spectare, quod tamen nemo dixerit. Deinde eadem est in utroq; ratio. Sicut enim emptor alius potest avocare possessionem, sed si ex sua parte contractum impleverit, & pretium solve-

solverit ita etiam emptor, cui sub reservato isto res tradita, potest rei possessionem civilem & naturalem, nec non dominium acquirere, si pretium solverit.

Secundum fundamentum nostræ sententiæ sumimus ex *l. servi emptor 16. ff. de pericul. & comm. rei vend. & l. sicut empt. 20. §. interdum 2. ff. locati*, in quibus textibus dicitur, si emptor interim, dum pretium nondum solvit, rem emptam conducat, periculum tamen eandem emptorem sustinere: licet alias periculum sit locatoris; quia tamen hic non primo nec primario locationis sed venditionis contractus fuit celebratus; ideo ex venditione periculum in emptorem eundemq; conductorem transfert. En hic venditor servum vendidit, & dum illum locat, sibi dominium reservat, non transulit dominium *d. l. 16. quicquid ad d. textus tricetur. Ludov. Lopetz in tract. de contract. & negot. lib. 2. C. 38. §. præterea examinare, &c.* Ubi sine fundamento Covarruv. perstringit. Et tamen venditor non sustinet periculum 3. Reservatum hoc præter intentionem reservantis ipsius hoc operaretur, & in ipsius odiū detorqueretur. Certè venditor sibi cavere voluit, non verò ipse in se Dominium transferre: quæ autem in alicujus favorem dicta sunt, non debent in ipsius odium detorqueri. Dicat autem aliquis, at per consequentiam hoc sequi. R. hoc in hac materia non sequi, ubi periculum non est domini debitoris, sed creditoris regulariter. 4. Sequeretur exinde omnes fructus ab emptore perceptos ad venditorem pertinere ex duplici ratione 1. quia si est conditionalis, utiq; pendente conditione fructus ad venditorem pertinebunt *juxta l. necessario 8. §. 1. v. quod si pendente. ff. de peric. & comm. rei vend.* 2. quia omni jure verum est hoc, ad eum pertinere fructus, ad quem periculum ejus rei pertinet. Sequeretur & inde illud, si stipulatus fuerit venditor usuras, venditorem fructus rei & interesse ratione pretii non soluti accipere. 5. Movemur ea ratione quam in simili urget Covarruv. *l. 3. resol. C. 4. n. 4.* qui enim rem venditam minime tenebatur ante pretii solutionem tradere, si transferat possessionis commodum, licet reservato dominio, dignior est, ut possit à periculo liberari, quàm si plane possessionem retinuisset. Nam si possessionem retinuisset, periculum non fuisset venditoris, sed emptoris: Sed si transtulit

etiam nudam possessionem, non tamen meruit hoc beneficio, ut periculo rei oneraretur.

6. Movemur hac ratione, quod pactum hoc reservati domini sit maxime naturale huic contractui. p. §. *vendit* & *Inst. de Rer. divis.* *Bald. in rubr. C. de contr. empt. Fabian. de monte in tract. de empt. quest. pr. 7. n. 15. Tiraquell. de retract. consang. §. 1. gl. 2. n. 36.* Ergo non videtur naturam vel effectum venditionis alterare.

Demum *Cavalcan. à Dn. Carpz.* allegatus, in eo quidem contrarius nobis est, quod hanc venditionem conditionalem vocat, & periculum venditori videtur imputare: Sed certum est, quod de eo casu loquatur, quando venditor in possessione maxime sit. Id eoq; non indefinite hoc sentit: quod, quamvis nec eo casu ab ipso proposito concedamus, majorem tamen præ se fert colorem æquitatis, quam si id ipsum universaliter vellemus asserere. *Paul. Castr. in d. l. si fundus quæ est 33. in Codic. nostris in vulgatis anno 36.* nihil habet, quod pro *Dn. Carpz.* faciat. *Æmilianum* nobis videre non licuit. Ad rationes contrarias facile responderi potest. Nam illa regula, quod res pereat domino, locum habet, nisi res illa specialiter alteri debeatur. Tunc enim perit creditori, non domino debitori. Ad 2. antea responsum est. Ad 3. resp. in *d. l. si fundus* de reservatione domini ne verbulum quidem contineri. Et lex illa difficilis, ut *Africani* leges esse solent, aut juxta distinctionem *Anton. Fabri l. 2. Conject. C. 4. ab Harpr. in §. 3. Inst. de act. n. 18.* & aliis approbatam, intelligendam, ne *Africanus* cum *Paulo* in *l. Lucius. ff. de Evict.* aut secum ipso in *l. si Soluturus 39. ff. de Solut.* committatur: aut dicendum cum *Paul. Castr. in d. l. si fundus*, in casu d. legis confiscationem ob culpam venditoris factam esse: quod & *Gloss.* ipsa non improbat.

Deinde quæritur, an promissio jurata de vendendo vel revendendo præcise jurantem obliget, ut si possit vendere vel revendere, præstare illud teneatur præcise? Negativam tenet *Card. Mant. lib. 4. de tacit. & amb. convent. tit. 3. n. 7.* & *Dn. Carpz. decis. 96. n. 10.* Et hanc sententiam videtur sequi *Berlich. part. 1. decis. 144.* & quidem his rationibus: 1. quia juramentum sequitur naturam negotii 2. nihil addit actui super quo interponitur, nec obligationem auget vel extendit: 3.

dit: 3. recipit omnes condiciones ejus actus, super quo interponitur. Sed affirmativam veriore putamus cum Steph. Grat. lib. 2. discept. forens. C. 553. n. 9. & seq. & quos citat. Surd. consil. 457. n. 13. & de pacto de revendendo id in specie notant Cagnol. in l. 2. C. de pact. inter empt. n. 33. Lud. Gozadin. in d. l. n. 47. Ratio autem hujus Sententiæ firmissima est hæc, quod ex pacto juncta præsertim jure Canonico in omnem eventum efficax oriatur obligatio, ut ex C. 1. x. de pact. & C. quamvis 2. lib. 6. t. eod. docent communiter Dd. laudati ab Hieron. de Cavall. in spec. comun. opin. quest. 315. & Carpz. part. 2. Jurisp. const. 32. def. 10. & const. 19. def. 17. Et quod qui se jurato obligavit ad factum, præcise illud teneatur præstare, nec admittatur, si præstare velit interesse Gloss. celebris in l. si pecunia 5. pr. in voce necesse habeas ff. de condict. caus. dat. caus. non secut. Lud. Gometz. in §. Item si quis postulante n. 7. Inst. de act. Ant. Gometz. t. 2. Var. resol. cap. 2. n. 20. Covarr. in C. quamvis de pactis lib. 6. part. 1. §. 4. n. 6. Anton. Gabriel. lib. 2. var. opin. concl. 8. tit. de Jur. jur. plures pro more suo citans Cardin. Tusch. conc. 527. lib. 1. Joh. Guttirez de Juram. confirm. lib. 1. l. 39. n. 6. Fort. Garz. in C. 1. x. de pact. n. 16. & seq. Ant. Corset. tract. de Jurejur. n. 39. & seq. qui habetur tom. 5. tract. tract. Hieron. Zanet. de diff. Jur. Civil. & Canon. diff. 67. n. 122. Seraphin. de Seraph. in tract. de privil. juram. privil. 74. per totum: qui omnes hanc communem esse testantur & Zasius in l. stipulationes 72. n. 40. ff. d. V. O. Ubi hanc sententiam communiorem & tutiorem vocat, quam & ipse se secuturum esse dicit, cum sit res divina, & pertineat ad forum Canonicum. Et probant istam sententiam text. in C. debitoribus 6. C. ad nostram 7. & C. brevi. 17. x. de Jurejur. C. ex literis 20. C. commissum 16. x. de sponsal. C. fin. x. ne prelatas vices suas, & c. Ex dictis patet affirmativam esse communiorem, & tutiorem eam esse apparet ex reg. comm. quando dubium est, an pro juramento, an contra juramentum respondere debeamus, in dubio sententiam esse amplectendam, quæ religionem integram conservat, & conscientias recte consulit: quod in ore omnium esse agnoscit Carpz. pr. Jurisp. Const. 35. def. 1. n. 1. Jason in l. licet 25. C. de pact. Alex. conf. 25. n. 17. vol. 1. Bartol. ad auth. Sacramenta puerum C. si advers. vendit. n. 13. facit, quod juramentum in contractibus innominatis adjunctum, eos, licet natura sua sint revocabiles, tamen irrevocabiles

C 3

reddat.

reddat. Ut per alleg. Gl. & plures autoritates confirmet Anton. Gabriel. lib. 2. tit. de Jurament. concl. 9. & si juramentum contractui non obliganti addit obligationem, certe in contractu præcise non obligante præcise, tamen obligabitur ob rationem juris Canonici in solemnibus C. cum contingat x. de Jurejur. faciunt exempla ab Alex. Trentacinq. allegata lib. 2. tit. de Jurejur. resol. 2. n. 1. Ideoq; regula illa, quod juramentum sequatur naturam contractus, locum tantum habet in eo casu, quando consensus in principali dispositione est limitatus v. g. debitores solent in chirographo fateri numerationem pecuniæ, antequam acceperint. Hic mos enim est universalis. Ergo debiti in mutuo contracti obligatio apud omnes hanc conditionem recipit: si accepero. Certe hæc conditio subintellecta videtur, si vel maxime juramentum accedat, per l. fin. C. de non num. pecun. & ita post Bartol. in l. si quis pro eo 57. n. 16. ff. de Fidejuss. & Jason. limitat. illam regulam Trentacinq. d. loc. in concil. 1. Anton. Gabriel. d. tit. de Jurejur. concl. 10, n. 2. cujus tamen verba contorta sunt: voluit enim ut ex allegatis patet, hoc dicere, quod illa regula intelligenda si consensus deficeret absolute aut sub limitatione. Nam eatenus juramentum adsumit naturam actus, & ita particula non abundare videtur. Deinde regula ea limitatur, quod procedat ratione naturæ negotii primordialis, non vero quoad naturam secundariam & accidentalem, ut limitat Lud. Gometz ad d. §. item si quis postulante n. 7. Inst. de act. Trentacinq. d. l. v. 2. Dd. Anton. Gabriel. d. concl. 10. n. 3. Jam vero hæc non est primordialis natura pacti vel contractus de faciendo, ut quis ad interesse se obliget: Sed primo ad factum tendit, secundo vero ad interesse. Et quod ex pacto nudo non datur actio, & obligatus ad factum præstando interesse liberetur, Juris civilis est subtilitas, quæ in Juris Canon. æquitate & Jurisjur. religione non attenditur: nec ea regula in Jure civil. perpetua, sed multas habet limitationes, quas congescit Zas. in d. l. 72. de V. O. & Cost. de Jurejur. & facti inspectione 33, & aliquo in loco Anton. Gabr. in concl. suis practic. & alii. In Summa concludimus cum Psalte regio: Jehova quis commoraturus est in tentorio tuo? Quis habitaturus in monte sanctitatis tuæ? Qui juratus in damnum suum non tamen mutat. Psalm. 15.

TIBI DOMINÆ GLORIA.



**D**um cathedram scandis nostri MEIERE Lycei,  
Atq; libros Juris pandis cum laude celebri,  
Grator, Amice, tibi, conatus laudo tuosq;  
Perge ita, perge tuis sic invigilare Camænis,  
Gratus eris Superis, Patria, & genitoribus usq;  
Et sic post cineres laus & tua fama virebit.

Hæc

Eximio & Præstantissimo Domino  
Respondenti Amico ac Popula-  
ri suo dilecto gratulabundus ap-  
ponebat

ABRAHAMUS BISMARCK,  
Pomeranus.



*[Vertical handwritten text in a cursive script, likely a marginal note or list.]*

*[Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.]*

*[Faint, illegible text in the middle section of the page.]*

*[Faint, illegible text in the lower middle section of the page.]*




00 A 6456

ULB Halle

3


002 929 244




R

Worm







Farbkarte #13

B.I.G.

JESU!

JURIDICA

IONE

CORPUS

SURAM,

subjectæ duæ

*si sibi reservaverit rei*

*um,*

*pendendo vel retro ven-*

*tem obliget.*

D IO

UNNEMANNI,

abl. Juridicæque

Decani.

*mittenda,*

ERO, Stralsund.

no 1653.

SMIRÖSNERI.